SPECIMEN
MEDICUM INAUGURALE
EXHIBENS MOMENTA QUÆDAM,
QUIBUS
PHTHISIS MUCOSA AB ULCEROSA DISTINGUI POTEST;

QUAM, ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
PETRI-JOSEPHI DE RYCKERE,
JURIS UTRIUSQUE DOCT. ET IN FACULT. JURID. PROF. ORD.
NEC NON
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA REGIA GANDAVENSI,
IN AUDITORIO FACULTATIS MEDICÆ DEFENDET

BERNARDUS-ANTONIUS DURING,
VOORBURGO-BATAVUS,
IBIDEM CHIRURGUS QUONDAM ET PHARMACOPOEUS,

DIE XXIX MAII MDCCCXXIV, HORA XI.



GANDÆ, TYPIS J.-N. HOUDIN.
1824.

42.600
32

Ex decreto facultatis 2 Martii 1818, opiniones in dissertationibus propositæ, illarum auctoribus propriæ sunt, et à facultate medicâ nec approbatæ nec improbatæ sunt habendæ.

VIRO

EXPERTISSIMO, ERUDITISSIMO, SPECTATISSIMO

FLORENTIO-JACOBO VAN MAANEN,

MEDICINÆ DOCTORI,

CHEMIÆ ET ARTIS PHARMACEUTICÆ LECTORI, PRO REBUS MEDICIS, APUD DICASTERIUM RERUM INTERNARUM REGNI BELGICI, SECUNDÆ CLASSIS REFERENDARIO, CIVITATIS HAGANÆ MAGISTRATUI ADSCRIPTO, ETC., ETC., ETC.

DE SE SUISQUE STUDIIS BENE MERITO.

HOCCE QUALECUMQUE SPECIMEN
INAUGURALE, GRATO ANIMO,
DEDICAT AUCTOR.

Qui bene distinguit, bene medebitur.



SPECIMEN

MEDICUM INAUGURALE

EXHIBENS MOMENTA QUÆDAM

QUIBUS

PHTHISIS MUCOSA AB ULCEROSA

DISTINGUI POTEST.

Apud Hippocratem jam vestigia distinctionis inter phthisim mucosam et ulcerosam leguntur ; postquàm enim phthisim ulcerosam graphicè descripsisset, ita divus senex contendere pergit : « Alius morbus appellatus tabes; tussis vexat, et sputum multum, ac liquidum, et quandoquè facilè tussiendo rejicitur etiam pus, veluti grando, quod dùm digitis conteritur durum et malè olens est. At vox pura est, et doloris expers, et febres non corripiunt. Verùm calor quandoquè aliàs, atque aliàs, atque hìc debilis.

Hic morbus per annos septem aut novem durat. Quod, si ab initio æger curatus fuerit, sanus evadit (1).

Hippocratem sub hâc tabe phthisim absque exulceratione pulmonum intellexisse sequitur :

1.° Ex eo quod febrem in hoc morbo deesse dixerit. In phthisi enim ulcerosâ febrem fidelissimum morbi comitem habuit. Alibi enim dicit : « Omnes suppuratos ex his signis cognoscere oportet. Primùm quidem, si febris non intermittit, et per diem quidem tenuis est, nocte verò amplior (2).

2.° Ex symptomatibus, quibus hunc morbum denotat; scil. ex sputis multis, liquidis, quandoquè purulentis (i. e. non nisi origine a pure diversis) febre miti, lentoque morbi decursu, quæ omnia signa characteristica phthisis mucosæ ab hodiernis medicis habentur. Hanc Hippocratis sententiam in pluribus operum immortalis viri locis fusiùs quàm nobis hìc par est referre confirmatam vidimus; huc spectat potissimùm lib. de internis affectionibus, ed. cit., pag. 314 et seq.

Arretæo autem *Cappadoci* penitiorem phthisis mucosæ cognitionem concedendam esse putamus; loquitur enim de ægrotis, « qui absque

---

(1) Hippocratis opera per Janum Cornarium Lat. ling. conscr., Basil. 1558 fol. de morbis lib. II, pag. 251.

(2) Lib. prænotion. L. cit., pag. 622.

pulmonis ulcere, sub sputis varii generis et febribus diuturnis consumuntur (1) ».

Fernelius hæc habet : « Suppurationi affine interdùm malum est, in quo magna thoracis capacitas seroso, mucoso, atque tenui humore scatet. — Tum suppurationis signa, atque symptomata insunt, nisi quod neque febris affligit, neque suppurationis efficientes causæ præcesserunt. Ea proindè adfectio non suppuratio, sed suppurationi finitima est (2).

Similes observationes fecerunt et notarunt : Severinus (3), Mercurialis (4), Hildanus (5), Bennetus (6), Bonnetus (7), Vogel (8), Morgagni (9), Lieutaud (10), Casimir Medicus (11), de Haen (12), Stoll (13), Selle (14) et alii.

---

(1) De causis et signis morbor. diuturn. lib. I, cap. VIII edit. Boerhaavii. Lugd. Bat. 1735 fol., pag. 36.
(2) Universa medicina de part. morb. et sympt. lib. V, cap. XI, pag. 394.
(3) De reconditâ abcessuum natur., pag. 269.
(4) Consultat., tom. II, n.° 43.
(5) Opera, pag. 914.
(6) Theatr. tabidor., L. B., Exerc. XXIII.
(7) Sepulchretum L. II, sect. VII, obs. 47.
(8) Prælection. de cognosc. et curand. c. h. affect., § 643.
(9) De sedib. et caus., Epist. 22, n.° 28.
(10) Histor. anat. med., L. II, obs. 404.
(11) Collect. obser. med. pract., tom. I, pag. 279.
(12) Ratio medendi, tom. I, pag. 118; tom. II, pag. 14, 19; tom. III, pag. 182; tom. VIII, pag. 88.
(13) Ratio med., tom. II, pag. 98.
(14) Medicin. clin., Berl. 1789, pag. 345.

Medicorum nemo tamen genium indolemque hujus morbi uberiùs, clariùs, accuratiùs exposuit illustri Murrayo. Observationibus enim modò enumeratis suisque propriis, novam phthiseos speciem superstruxit, quam mucosam vocavit; quæque ad finem seculi elapsi in systematibus nosologicis peculiarem delineationem obtinuit.

Ab hoc igitur tempore tres phthiseos pulmonalis species agnoscuntur; tuberculosa nempè ulcerosa, et mucosa, prout phthisis pulmonalis, vel ex infarctis pulmonum glandulis, vel ex pulmonum abscessibus, vel deniquè ex solâ secretione systematis bronchialis morbosè mutata originem ducit.

Quod catharrus chronicus in thrachea et in bronchiis, id phthisis mucosa est in tenuioribus subtilissimisque bronchiorum ramulis ipsam pulmonum substantiam intrantibus. Vera blennorrhæa est, ex pulmonum membranis mucosis proveniens, ad profluvia mucosa relegenda; in genuinâ phthisis mucosæ formâ, quam nostro in specimine indicare conamur, exulceratio deest, pariter abest in bronchiorum glandulis lymphaticis desorganisatio, tandem materia morbosè secreta et excreta, nequaquàm pus, sed productum secretionis mucosæ morbosè adauctæ habendum est. Ulcerosa et tuberculosa essentialiter morbi organici; mucosa dynamicus.

(15) Diss. de phthisi pituitosâ, Gott. 1776, 4.to item in opusculis, P. I, pag. 277

Monet medicos cel. Richterus, ne hâc phthisium pulmonalium distinctione seducti, ternas has formas semper à se invicem separatas existere putent. Hoc tamen monitum magis distinctionem inter phthisim tuberculosam et ulcerosam (quæ plerumquè conjunctæ sunt) quàm distinctionem inter ulcerosam et mucosam concernit. Licet enim etiam in phthisi ulcerosâ sæpissimè simul adsit læsa secretio muci bronchialis, ita ut phthisis ulcerosa sæpè cum mucosâ complicata dici possit, multis tamen observationibus evictum est, phthisim mucosam sat sæpè solam evolvi, solam omnia stadia percurrere, solamque (artis auxilio ipsi non opposito) in mortem abire.

Diagnosis tamen multis difficultatibus premitur; et quid mirum? Suppurationes membranarum mucosarum à morbosis earum secretionibus, pus mentientibus distingui debent; hæc difficultas in pulmonum morbis diagnoscendis eò major est, quo minùs ad investigandam eorum fabricam immediatâ sensuum perceptione uti liceat. Hinc, quùm et phthisis mucosa et ulcerosa in eodem organo sedem suam habeant, quùm productum blennorrhææ bronchialis producto suppurationis pulmonum sæpè sit simillimum, quùm in utroque morbo læsa pulmonum functio iisdem symptomatibus sese manifestent, diagnosim horum morborum arduum plerumquè opus esse, necessariò sequitur.

Si ingentem tractatuum de phthisi ulcerosâ numerum cum parvo

manipulo observationum, quæ exstant circa phthisim mucosam comparamus, phthisim hanc multò rariorem esse ulcerosâ judicare possimus.

Et reverâ cadavera phthisicorum raró tantùm intactos pulmones habent.

Nihilominùs omnes phthises, quæ ex catharro chronico natales ducunt, ab initio certè non nisi mucosis adnumerandæ sunt.

Sic quoque è phthisibus post pneumonias (præcipuè exanthematicas et nothas) enatis, multæ ab initio tantùm mucosæ esse videntur.

Magna deniquè cohors phthisium symptomaticarum, quæ scilicet effectum sistunt alius morbi extra thoracem sedem suam habentis, etiam ad mucosas referenda est; licèt etiam hæ phthises symptomaticæ irritamento heterogeneo diutiùs in corpore remorato in ulcerosas mutari soleant.

Ex his igitur colligimus phthises mucosas multò frequentiores esse quàm plerumquè putant medici, qui ex conditione pulmonum post ægrorum mortem investigatâ ad indolem totius pristini morbi concludunt, immemores frequentis transitûs phthisis mucosæ in ulcerosam, qui sæpissimè, ast lento et insensili quasi gradu contingere videtur.

Momenta quorum consideratio medentibus in phthiseos datæ indolem inquirentibus lucem affundere potest, ad sequentia, ni fallimur, reduci possunt.

§. I.

Ad Momenta causalia.

a) Constitutio laxior, carnes flaccidæ, cutis pallida, lingua plerumquè mucosa, organa digestionis languentia, temperamentum phlegmaticum ad phthisim mucosam disponunt. Ætatem inter 15 et 35 ad phthisim ulcerosam disponere notum est. Phthisis mucosa hanc vitæ periodum quidem non respuit, sed etiam in extremis vitæ periodis frequens observatur. Sexus femineus ratione imprimis debilitatis irritabilis; sexus autem noster, cui robur irritabile respondet, ad ulcerosam magis inclinat. Victus crudus, farinosus, glutinosus, unà cum vitâ sedentariâ ad morbos mucosos, et hinc quoque ad phthisim mucosam disponit.

b) Ex morbis prægressis. Febris catharralis, homines provectioris ætatis, qui febri catharrali, et diuturno pulmonum catharro hanc febrem excipiente, quotannis per aliquot menses (plerumquè absque magnis molestiis) laborant, seriùs vel citiùs in phthisim mucosam incidere solent.

c) Febres acrimoniâ specificâ præditæ. Si in decursu, præcipuè autem si in declinatione morbi, et lento gradu pulmones adgrediuntur, phthisim mucosam producunt, quæ tamen sæpè abit in ulcerosam, imprimis ubi acrimonia specifica validior fuit (uti arthritica) et pulmones teneri. Huc pertinent febris rheumatica et

rheumatismus chronicus, febres exanthematicæ et exanthemata chronica; inter exanthemata acuta morbilli, febres gastricæ, imprimis mucosæ et biliosæ, verminosæ, statusque morbosi hujus indolis afebriles sæpè affectionem pulmonum consensualem producunt, quæ si negligitur, vel perperam tractatur, in phthisim mucosam abit. Huc pertinent quoque tusses stomachicæ, quas cel. Stoll. frequentissimè in sartoribus et sutoribus observavit; pneumonias plures sese insequentes, copiosis sputis stipatas in phthises mucosas abire contendit Murray (1).

d) Peripneumonia notha et bronchitis, imprimis si in senibus occurrunt, etiam magis ad phthisim mucosam quàm ad ulcerosam disponunt.

e) Febres intermittentes. Quemadmodùm febres intermittentes sæpè sæpiùs sobolem pituitæ sistunt, ita quoque gignandæ pituitæ ipsæ ansam præbent. Hinc facilè intelligitur, cur febres intermittentes, si in phthises abeunt, pituitosis sive mucosis quàm maximè faveant.

f) Infarctus viscerum abdominalium, præcipuè infarctus hepatis solemnem sistunt phthiseos et quidem mucosæ causam.

---

(1) Dissert. de Phthisi pituitos. L. c.

g) Scorbuto sæpe phthisis pulmonalis supervenit, quæ plerumquè mucosa esse videtur, ut egregius observator *Morton* (1) statuit.

h) Nevroses. Phthises quæ ex asthmate humido, per longum tempus pulmones constringente et quasi emulgente natales ducunt, ad mucosas referendas esse jure merito censetur ; stant pro hâc opinione remedia quibus Morton has phthises debellare consuevit, ut incidentia, subemetica, etc.

i) Profluvia mucosa et serosa, sive catharri chronici cujuscumque partis systematis mucosi, uti corysa, blennorrhæa renum, vesicæ, urethræ, uteri, vaginæ, intestinorum præcipuè crassorum utut diarrhææ, hæmorrhoïdes sic dictæ mucosæ, ad phthisim mucosam disponunt : nam si supprimuntur, facilè profluvium simile in pulmonibus provocant, sæpè cum hoc alternant, et tandem in phthisim mucosam abeunt. Cæteras, quæ phthisim mucosam determinare queunt affectiones morbosas, sicco pede transibimus, quùm indicatæ, scopo nostro hìc limitando, sufficere videntur.

Causæ externæ.

k) Universales. Constitutio atmosphæræ epidemica, annua et stationaria, si morbis mucosis et catharralibus favet, pro mucosâ indole phthisium tunc temporis enascentium militat.

---

(1) L. C., c. 2, phthisiologia.

Constitutio atmosphæræ endemica in quibusdam terræ regionibus uni alterive phthisium speciëi gignendæ imprimis favet : sic in comitatu Angliæ Lancastrensi (*Lancashire*) ferè omnes phthises mucosæ sunt, quod doctor LEIGH testatur (1). Idem de terris Surinamensibus, de Carolinâ meridionali asserunt auctores.

§ II.

Præcipua symptomata.

a) 1.° In phthisi mucosâ tussis admodùm variabilis esse solet, ita ut per aliquot dies impetuosa sit, et mox iterùm ferè evanescat, in genere minùs molesta quàm in ulcerosâ.

b) *Sputa* in phthisi mucosâ plerumquè multo copiosiora sunt quam in cæteris phthiseos speciebus, et si in morbo, quem tractamus rariora fiunt imò (favente aëris constitutione) penitùs exarescunt, pulmones non aggravantur (2).

c) Quoad qualitates. Sputa phthisicorum, quibus pulmones exulcerati sunt, qualitates suas in decursu morbi parùm mutant, sputa autem, quæ in phthisi mucosâ excernuntur quandoquè pus adeò æmulantur, ut vix ac ne vix quidem ab hoc distingui possint, quandoquè habitum puriformem disponunt, omnesque muci charecteres præ se ferunt (3).

---

(1) Phthisiologia Lancastrensis in Sydenhami opp. med. ven. 1762, p. 152.
(2) Dreyssig de Diagnostic, p. 109
(3) Richter, *Medicinische Bemerk*, 1 th., 20 cap.

Ex colore, pelluciditate, consistentiâ, odore, sapore, gravitate specificâ desumpti characteres minùs firmi haberi merentur, quàm ut genuinam phthiseos indolem accuratè queant exhibêre. Transimus ad qualitates chemicas.

Sunt qui identitate puris mucique puriformis seducti, omni humori animali, qui characterem puris in abscessu formati habet, puris nomen impertiri volunt.

Ast etiamsi humores cujus generis in zoo-chemiâ sub eodem nomine omni jure colliguntur, quia chemicè non differunt, eos tamen in scriptis medicorum semper diverso nomine insigniendos esse convenit, prout vel ex abscessu oriuntur, vel à membranâ, in structurâ suâ non læsa secernuntur; hæc enim originis diversitas digna est, cujus à medicis quàm maxima ratio habeatur; mutat scilicet (ni semper, sæpiùs tamen) therapiam; mutat semper prognosim.

Criterica chemica in usum diagnoseos puris inventa, etiamsi tantùm mucum minùs puriformem à pure distinguere medicos doceant, utilitate certè practicâ destituta non sunt, quatenùs ubicùmquè muci præsentiam testantur, et sic firmum medico fulcrum substruant. Nostrum tamen non est methodos recensêre quibus medici ad dignoscenda sputa hucusquè usi fuêre; in medio relinquens quidquid respectu puris tum geneseos, tum diagnoseos statuerint *Darwinus*, *Brugmansius*, *Pearsonius* aliique, mentionem tantùm in-

jiciemus methodi à doctore *Grasmeyero* propositæ, quæ etiam minimas quantitates puris in quocumque liquore contenti citò et tutò explorari posse laudavit.

Sputum cujus indolis determinanda, agitatur cum largiore quantitate aquæ (ita quidem ut quantitas aquæ quantitatem sputorum circiter duodecies superet); continuitate sputorum penitùs dissolutâ, additur solutio carbonatis alkalini concentrata (ol. tart. per deliquium) cujus dosis æquet quantitatem sputorum; mixtione factâ, mox totus liquor in gelatinam, longa fila trahentem, homogeneam semi-pellucidam abit, si in sputis pus fuit; non mutatur si sputa ex mero muco constiterunt.

Fatetur autem ipse methodi auctor productum gonorrhææ, nec non sputa illa, puri simillima quæ in anginâ pectoris in lucem prodire solent, cum liquore alkalino mixta etiam gelatinam formare, et à pure non differre; nihilominùs magnum sæpè solamen et ægro et medico in tractandis morbis pectoris hoc experimento Grasmeyeriano adferri posse existimatur, quùm ubicumquè sputa mucosa esse clamat, fidem suam ipsi adjungere possint.

Sequenti modo institui oportet.

Non nisi parvam sputorum quantitatem lagenula excipiat (Exc. e. ℥ III, ℥ IV capacitatis) dein aquam pluviam vel destillatam in tantum addat, ut dimidium vasculum repletum sit. Lagenam probè obturatam, nunc eò usque manibus circumagitet, donec omne sputum

vi aquæ mechanicâ magis quàm chemicâ in minimas particulas divisum fuerit. Quò major puris in sputis contenti quantitas, nec non quò minor sputorum quantitas relatè ad aquam, eò citiùs perfecta hæc divisio, quæ summoperè necessaria est, impetrari solet. Plerumquè autem spatio 5 ad 10 minutarum perficitur. Liquorem æquabiliter turbidum ad æquales partes in duo vitra distribuat, et ope baculi, quod immergat, de tenacitate sputorum nunc deletâ, sibi persuadeat, jamque uni alterive parti solutionem kali carbonici saturatam eâ circiter dosi admisceat, ut quantitate suâ sputa in liquore contenta æquet. Quibus factis consistentiam utriusque liquoris, bacillum sæpiùs immergendo, iterùmque extrahendo, comparet. Si sputa aquæ penitùs subacta non fuerint, pars eorum non dissoluta, cessante motu, in superficie liquoris mox colligatur, et mentietur miscelæ tenacitatem, etiamsi merus mucus sit, quod autem mendacium patefaciet tenacitas illius quoque partis, cui solutio alkalina non admista fuerit.

Tentamina celeberrimi Pearsoni, Hunteri, Ev. Homii ope microscopii instituta dubiis atque difficultatibus adhùcdùm premuntur. Celeberrimus *Griethuisius* hoc pacto sequentia, quæ medici attentionem certè commendant, publici juris fecit.

Sunt scilicet globuli in eadem guttulâ puris contenti ferè omnes ejusdem magnitudinis.

Globuli in muco contenti magnitudine adeò inter se differunt,

ut minimi eorum vix octavam partem diametri maximorum contineant.

Globuli puris, diffluente pure, mox rugosi fiunt.

Globuli muci per plures septimanas non mutantur.

Numerus globulorum in pure longè major quàm in muco.

Globuli puris jam ope microscopii, objecta sedecies augentis, benè conspici possunt.

Ad globulos muci observandos oculis fortiùs armatis opus est, mucusque cum aquâ terendus est.

Globuli puris albicantes sunt et opaci.

Globuli muci ferè diaphani.

Forma globulorum puris regularis perfectè rotunda.

Globuli muci irregulares, plerumquè fimbriati vel crenulati.

Materia in fluore albo secreta medium inter pus et mucum tenere videtur.

Mucus puriformis gonorrhæarum à pure ex abscessibus obtento non diversus. Hinc etiam mucum perfectè puriformem (materiam purulentam, Frank), si quandoquè in sputis occurrit, methodo suâ à pure non distinguendum esse, *Griethuisius* concedit. Sputa autem quemadmodùm communissimè ab hominibus phthisi mucosâ laborantibus rejiciuntur, microscopicâ contemplatione à vere purulentis benè dignosci posse autumat.

§ III.

a) Ex morbi phœnomenis. Suppurationes concomitantibus notæ diagnosticæ ulteriùs desumi possunt, quorum tamen fusior indagatio, propter dissertationis limites arctiores nobis præscriptos, prosequenda non est. Talia habentur : Emaciatio corporis, et debilitas muscularis, quæ in phthisi ulcerosâ seriùs quàm in mucosâ apparêre solent.

b) Febris lenta, quæ in mucosâ mitior est ac in ulcerosâ, et plerumquè multo seriùs intrat, ita ut in mucosâ macies ante febrem, in ulcerosâ febris ante maciem observatur.

c) Differentiæ quoque notabiles animadvertuntur ratione exacerbationum, pulsûs, dyspsnœæ, dolorum pectoris, decubitûs, digestionis, etc., etc.

d) Et decursus morbi lentior in mucosâ quàm in ulcerosâ ; in priori debilitas torpida, in altera debilitas irritabilis subest, in quo casu hæc adeò acuta fit, ut ab Anglis *the galloping pulmonary consumption* nominata fuerit.

Quodsi utriusque morbi naturam ritè perpendamus, stadia symptomatum prodromorum, evolutionis morbi tum et confirmati, discrepantias offerre debent.

e) A *juvantibus*, et *nocentibus* morborum indolis non rarò eruitur, de effectu equidem medicaminum in diversis phthisium speciebus medici quàm maximè dissentiunt.


Multi et magni nominis ut *Celsus*, *Hofmannus*, *Simmons*, *May*, in remediis stimulantibus fidem habuerunt.

Alii haud minoris nominis omnia stimulantia, cujuscumque sint generis proscripta volunt. Veritati propiùs accedunt, qui ulcerosam phthisim antiphlogisticis, mucosam roborantibus tractant; et hoc pacto, veritati consona, et experientiâ clinicâ comprobata corollaria haberi merentur.

1.° Ubi remedia tonica benè feruntur, nec adsunt signa vomicæ apertæ, ibi probabiliter phthisis mucosa habetur.

2.° Ubi remedia stimulantia cujusvis generis non feruntur, nec adsunt signa magnæ plethoræ, unà cum profusâ sputorum excretione, ibi phthisis ulcerosa probabilis.

Tantùm de hoc argumento habuimus disserendum; muneris academici causâ, commentatio nostra in lucem edita est; ut. b. lector æqui bonique conatus nostros consulat, ut præceptoribus æstimatissimis, viris clarissimis, quibus studiorum in arte salutari institutiones debemus, acceptum sit opusculum, enixè precamur.



POSITIONES.

I.

Ars longa, vita brevis, judicium difficile. Hipp.

II.

Vita, sanitas, morbus, mors stadium medicum naturæ humanæ absolvunt. Gaubius, *Inst. pathol.*, 1758.

III.

Ergo pathologiam et therapiam physiologiâ niti tritissimùm.

IV.

Pharmacologia quò simplicior eò magis ad perfectionem propior.

V.

Medicamenta ex metallis desumpta viribus therapeuticis variis, eisque diversis pollent pro gradu oxydationis.

VI.

De facultatibus quæ alimentis insunt, plerique præstantissimorum medicorum præcipuo studio in eam speculationem conversi conscripserunt, quod omnium, quæ sunt in medicinâ, ea propemodùm sit utilissima. Galen, de *Alimentorum Facult.*, *lib.* 1.

VII.

Lithontriptica remedia non dantur.

VIII.

Plus prodest qui morborum gravium tristes casus, quàm qui felices, litteris prodit. Hi facilè fallunt vel ad imitandum impellunt, illi verò cautiorem faciunt medicum. HEBENSTREIT, VI.

IX.

Ope eudiometri utiquè oxygenii copiam in aëre atmosphærico præsentem justo adsignare valemus : neutiquàm tamen salubritatem aëris atmosphærici indè derivari posse censemus.

X.

Levia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahere patiuntur. Magno ingenio multaque nihilominùs habituro convenit etiam simplex veri erroris confessio, præcipuèque in eo ministerio, quod utilitatis causa posteris traditur, ne qui decipiantur eâdem ratione, quâ quis antè deceptus est. C. CELS. viij, 4 p.

XI.

Nascentes morimur et finis ab origine pendet.

Vidi, nihilque reperi quod legi Academicæ adversetur,
J.-L. KESTELOOT,
Facultatis medicæ h. t. Decanus.